

Por. III. Seria est voluntas Dei omnes homines convertendi. Pro-
batur, quia Christus, ad totum vulgus sese convertens non solum
reprehendit eos, qui ad se venire nolunt; sed media quoque ad semet
certò perveniendi ostendit, ablegando omnes ad *Scripturam, tanquam*
vite fontem, conf. *Matth. XXIII. 37. Rom. X. 21. c. II. 4. 5.* Quòd autem
hac in thesi etiam *recentiores Reformati* nobiscum non consentiant,
præter *Anglos* quosdam, vid. in *der allerunterstänigsten Adresse*. p. 18.

Porisma. IV. Religio non potest à Magistratus civilis arbitrio
suspendi. Defendit affirmativam sententiam *Hobbesius*, quem ob va-
rias contra Christianismum fraudes adhibitas, *impostoribus* unà cum *Her-*
berio ac *Spinoza* meritò accenlet *B. Korbolt* in *Tract. de 3. impostoribus*
magnis; eique principio tam firmiter innititur, ut illud revera fun-
damentum sit *Theologia*, ex mente *Hobbesii* conceptæ, ceu *l. c. p. 55. ex*
Leviathanis c. 33. ostendit modò laudatus Theologus. Sed quam ab-
surdum illud sit, facilè patet; cum Christus non soli Magistratui, sed o-
mnibus auditoribus suis commendet, ita scrutari *Scripturam*, ut se in-
veniant, ac vitam æternam habeant; & unusquisque nostrum de
seipso rationem reddere debeat Domino, *Rom. XIV, 12.* ac paratus
esse ad respondendum cuilibet, petenti rationem ejus spei, quæ est
in ipso, *1. Petr. III, 15.*

Por. V. Pessimum monstrum est indifferentismus religionum. Probi-
quia Christus vult, ut *scrutemur S. literas*, eo fine, ut testimonium ear-
rum de semet percipiamus. Jam igitur testimonium illud rectè per-
ceptum firmiter debet teneri, neque falsitas contraria recipi potest, quam-
diu verum manet, quòd in Ecclesia Dei, *una fide* colligata *Eph. IV. 5.*
potentia quædam sit *exhortandi* doctrina sana, & contradicentes *con-*
vincendi, iisque *os obturandi*, *Tit. I, 9. 11.*

Porism. VI. Cum Scripturam S. habeamus, immediata revelatio-
nes non sunt necessariae ad dandam veram de Christo scientiam. Probi-
quia ipse Christus semet, tanquam *Messiam* verum, ex verbo Dei co-
gnosibilem esse, testatur atque affirmat; quemadmodum & de *per-*
fectis in notitia, sive illis Christianis, qui non solum *lactis* catecheti-
ci, sed *solidi* quoque *cibi* acroamatici capaces erant, Paulus (de Christo
inprimis ut summo nostro sacerdote acturus) affirmat, quod propter
habitu habeant *ἀκρίβεια γνώσεως* / *sensus exercitatos*
ad discretionem boni pariter & mali. *Heb. V. 14.* Quod si considerarent
Fanatici eorumque Patroni, non tantas in contemptum verbi divini
Scripti tragœdias excitarent,